



## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

§. II. Aseitas pertinet ad constitutum Divinæ essentiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)



Secundò quòd sit ipsa virtus intelligendi proxima. Tertiò quòd sit ipsa radix intelligendi nullam aliam presupponens. Quæ omnia in se intrinsecè omnibus modis indistincta, distinctè tamen & divisim à Beato participantur. Actus nimirum secundus per visionem; virtus proxima per lumen gloriæ; radicalis per gratiam.

31. Ad quartum Resp. Immaterialitas est ratio intellectualitatis à priori, & notior quoad nos, & imperfectum modum intelligendi conc. quoad se, & cum fundamènto ex parte rei conceptæ, nego: ibi enim tam benè & convertibiliter actualissima intelligibilitas infert immaterialitatem, seu spiritualitatem, quàm immaterialitas intelligibilitatem.

Ad quintum Resp. cum Salmantic. naturam esse

objectum scientiæ connaturalissimum comparativè ad lineam scientiæ, non autem absolute; eo ipso quòd supponat primam lineam intellectualitatis, in qua divina essentia est objectum per se primò connaturalissimum.

Ad sextum nego consequ. quia licet inter speciem intelligibilem, intellectum, & intelligere ex parte rei significatæ nulla prorsus sit distinctio virtualis, tamen quia in modo significandi neque intellectus neque species expriment ultimam actualitatem lineæ & vitæ intellectualis, cum intellectus magis nomine actum primum, quàm secundum; species quoque intelligibilis non tam dicat formalitatem constituentem, quàm formam constitutam, idè non sunt idoneum constitutivam divinæ essentiae.

## ARTICULUS V.

*Quodnam tandem sit constitutum Divina natura.*

### S U M M A R I A.

1. Comparatio actus essendi cum actu intelligendi.
2. Essentia Divina est per essentiam forma intelligibilis.
3. Nulla distinctio virtualis inter lineam entitativam & intelligibilem.
4. Aseitas astruitur.
5. Transcendentia non obest constitutivo.
6. Neque distinctio virtualis.
7. Cum omnes divina perfectiones in se formaliter includantur.
8. Et tamen virtualiter distinguantur.
9. Neque apud Advers. spiritualitas per transcendentiam impeditur à constitutione essentia.
10. Astruitur etiam intelligere actualissimum.
11. Divina essentia pertinet ad utramque lineam, constituitur per ultimam actualitatem utriusque.
12. Cum neque sit virtualis distinctio inter esse & intelligere.
13. Neutrum se solo sufficit.
14. Probationes aseitatis in quantum acceptande.
15. Item probationes intelligere actualissimi.
16. An semper operari ad esse, & intelligibile sequatur ad rationem entis?

#### §. I.

*Præsupposita ad resolutionem.*

1. **U**T post relatas variorum opiniones exponam, quod sentio, supposita primum statuo in dekursu latius explicanda. Primum esto, ex S. D. cit. q. 14. a. 4. & 1. cont. gent. c. 4. quòd ita se habeat intelligere ad formam intelligibilem in linea intellectuali, sicuti se habeat esse ad essentiam in linea entitativa.
2. Secundum, quòd essentia & natura divina formalissimè sub ratione naturæ virtualiter distinctæ ab attributis & relationibus sit forma seu species intelligibilis specificans ipsum actum intellectus divini, ut partim in Tract. de vis. partim de scientia DEI ad cit. q. 14. communiter docent Thomistæ.

Tertium, esse & intelligere, ac per consequens 3. lineam entitativam & intellectualem in DEO non distingui virtualiter intrinsecè, & ex parte rei conceptæ, sed tantum ex nostro modo concipiendi, quòd evidenter infertur ex discursu S. D. l. sup. cit. Nimirum, si ultimæ actualitates linearum non sunt distinctæ, etiam ipsæ lineæ non sunt distinctæ; sed ultima actualitas lineæ entitativæ, quæ est esse, non distinguitur virtualiter ab ultima actualitate lineæ intellectivæ, quæ est intelligere; ergo nec ipsæ lineæ ita distinguantur. Minorem habet in terminis S. D. l. sup. cit. eaque nititur hoc discursu: Essentia DEI formalissimè tam re, quàm ratione est suum esse; sed essentia DEI formalissimè tam re, quàm ratione est suum intelligere; ergo esse DEI & re & ratione est ipsum intelligere DEI. Maj. quæ ac min. constat, quia perfectiones divinæ identificant sibi ultimam actualitatem suæ lineæ, igitur essentia Divina quatenus sub ratione formæ per essentiam intelligibilis pertinet ad lineam intellectualem, etiam sibi formalissimè identificat ultimam actualitatem illius lineæ, quæ est intelligere, & quatenus sub ratione formæ naturalis pertinet ad lineam entitativam, etiam esse eam ultimam illius lineæ actualitatem sibi identificat.

#### §. II.

*Aseitas pertinet ad constitutum Divina essentia.*

**H**is positis sententiæ Aseitatem excellenti, concedo, quòd esse à se pertineat ad constitutum essentia divini, non tantum latè, sed etiam strictiori sensu acceptæ, & ut est virtualiter distincta ab omni attributo; idque rectè probat prima ratio pro aseitate. Sanè natura etiam ut virtualiter distincta ab omni attributo pertinet ad lineam entitativam; ergo etiam ut sic identificat sibi ultimam actualitatem lineæ entitativæ; sed ultima perfectio lineæ entitativæ est esse per se in modo perfectitatis infinite perfectio; nempe esse à se, & indepen-



dependens ab omni causa: ergo essentia divina etiam ut virtualiter distincta ab omni attributo pro ultima actualitate constitutiva habet esse à se.

5. Neque obest afeitari transcendentalitas, quæ à Gonet obijcitur: Nam primò facile responderi poterit, hoc ipsum esse de ratione essentia in actu puro, ut omnia prædicata transcendat, utpote quæ per esse à se tanquam per differentiam non extrinsecus superadditam (quod neque Gonet admittit) sed implicitè inclusam contrahuntur ad esse divinum.

6. Secundo. Ideo transcendentalitas removeret afeitatem à constitutivo essentia & natura strictè accepta, quia per illa natura non conciperetur ut virtualiter distincta ab omni alia perfectione divina; sed hoc non. ergo. Minor prob. Non obstante transcendentia entis, adhuc concipitur ens ut virtualiter distinctum à suis proprietatibus, & radix virtualis ipsarum: ergo non obstante transcendentia potest afeitas & natura per ipsam constituta esse virtualiter distincta ab attributis, & radix virtualis ipsorum.

7. Tertio. Non aliâ ratione afeitas transcendit alia prædicata, nisi quatenus formaliter includitur in ipsis, sed formalis inclusio non impedit distinctionem virtualem: tum quia in sententia præfati Authoris non datur alia distinctio perfectionum in divinis, nisi includentis & inclusi, secundum conceptum explicitum & implicitum, ac proinde omnia divina prædicata in se mutuo formaliter includuntur, sequè invicem transcendunt: tum quia apud eundem in Tract. de SS. Trinitate, natura etiam ut virtualiter distincta formaliter & essentialiter includitur in divinis personalitatibus; ergo illa transcendentalis inclusio compatitur distinctionem virtualem.

8. Quarto. Aternitas, immutabilitas, infinitas DEI non minùs transcendunt omnia divina prædicata, quam afeitas: & tamen non minùs à se invicem, quam ab afeitate & aliis prædicatis v. g. sapientia, bonitatis, Paternitatis, &c. virtualiter distinguuntur: ergo etiam si afeitas transcendat omnia prædicata divina, tamen poterit ab eis esse virtualiter distincta, & consequenter constituere naturam ab eis virtualiter distinctam.

9. Denique contra Godoyum argumentor ad hominem: Immaterialitas, seu spiritualitas non minùs transcendit omnia prædicata Divina, quam afeitas, cum æque de omnibus prædicari possit, quam afeitas, infinitas, &c. Sed non obstante hac transcendentia potest esse constitutum Divina natura: ergo pariter afeitas.

## §. III.

*Intelligere actualissimum conjunctim requiritur cum afeitate ad constitutum essentia & nature Divina.*

10. Sentio tamen ulterius intelligere actualissimum omnino pertinere ad constitutionem naturæ divinæ: eamque efficaciter probant rationes primùm allatae; authoritates quoque à S. D. adductæ evincunt, hanc omnino ipsius mentem & sententiam esse. Nihilominus sicuti afeitatem ut præciliam nostrâ ratione ab intelligere divino non existimo sufficere ad adequatam constitutionem naturæ divinæ; ita neque conceptum intellectiois actualis

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. I.

ut præciliam à conceptu afeitatis sufficientem judico; sed Dico: utramque perfectionem afeitatis & intellectiois, pertinere ad conceptum explicitum & adequatam constitutionem naturæ divinæ intra lineam naturæ, virtualiter distinctæ: ita ut constitutum divinæ naturæ; in rigore metaphysico acceptæ, rectè exprimat per *intelligere actualissimum per se & à se subsistens*, in virtute unius termini incomplexi acceptum. Idque probant in primis authoritates S. D. & inde deductæ rationes tam pro afeitate, quam pro intelligere, è quibus habetur, quòd sicut essentia divina formaliter pertinet ad utramque lineam entitativam & intellectivalem; ita formaliter sit suum esse, & suum intelligere: unde si intelligere pertinet ad constitutionem divinæ naturæ; quia in sensu formali divina natura est suum intelligere; non minùs esse à se, pertinebit ad illius constitutionem, quia in eodem sensu à S. D. asseritur, quòd divina essentia sit suum esse.

Unde nostra assertio probatur primò: forma infinite perfecta essentialiter pertinens ad lineam tam intellectivam, quam entitativam, pro suo constitutivo requirit ultimam actualitatem utriusque lineæ; sed natura divina est forma infinite perfecta essentialiter pertinens ad utramque lineam, cum per essentiam habeat ut non minùs sit forma intelligibilis, quam naturalis: ergo pro suo constitutivo requirit ultimam actualitatem utriusque lineæ; nimirum *intelligere, & esse*. Et hoc non per modum duplicis conceptus virtualiter distincti (hæc enim ratione conciperemus in DEO aggregatum vel compositum per accidens) ergo per modum unius impræcindibilis constitutivi, sicut & ipsa natura DEI pertinens ad lineam intelligibilem non distinguitur illo modo à se ipsa ut pertinente ad lineam entitativam.

Confirm. intelligere pertinet ad constitutionem divinæ essentia, ergo & esse à se. Conseq. prob. intelligere actualissimum non distinguitur virtualiter ab esse à se; ergo si divina natura constituitur per intelligere actualissimum, etiam constituitur per esse à se.

Probatur ulterius. Neque afeitas ut præciliam intelligere, neque intelligere ut præciliam ab afeitate, sed utrumque simul sumptum habet requisitas condiciones ad constitutum divinæ essentia: ergo neutrum seorsum, sed utrumque simul sumptum per modum unius impræcindibilis conceptus constituit essentiam divinam. 1. Pars antecedentis ex hoc fit manifestata, quòd esse à se ut præciliam ab intelligere, non exprimat ultimam perfectissimamque actualitatem vitæ intellectivæ; quæ est tertia conditio supra §. 2. requisita. Certè natura viventis intra suam lineam continet determinatum vitæ gradum; ergo nisi iste exprimat, conceptus divinæ naturæ non exprimitur.

Ais: an non Divinitatem, DEUM, Ens increatum concipit, qui concipit Ens à se, tametsi de intelligere nihil cogitet? Resp. Concipit Divinitatem, DEUM, Ens increatum quasi inchoativè, & confusè, conc. completè, & distinctè nego. Conceptus enim distinctus & completus divinitatis est conceptus *intelligentia purissima & actualissima à se existens*: in quo vitæ determinata actus puri, ab

E

omni